

astantes dicit: Quid me fiet mox videbitis, illi-  
cò morime & coràm summi judicis aspectu,  
hodiè comparére oportebit; & cum verbo è,  
balneofestinans inter astantium manus animam dirè  
ejulantem & vociferantem emittit.

Eiusdem fidei sed diversi eventus exemplum est  
Abbatis S. Ioannis in Valenciennis.

Hic Comitem quendam Hanoniæ, Canonicos regu-  
lares Ecclesiæ istius expellere & seculares superindu-  
cere conantem, appellatione ad divinum judicium ab-  
sterruit. Appropinquante enim citationis die, cum  
Abbas inciperet infirmari, & se ad hoc forum veluti  
præpararet, Comes ille causæ iniquitatem oportune a-  
gnovit, nec expectata supremi judicis sententia, cessit.

Non cessit Agrestius Hæreticus. Is Agrestius B.  
Columbanum mortuum conviciis plurimis & calum-  
niis, præsente Beato Eustachio Abate, lacerarat. Eu-  
stachius impatientè ferens hunc canem puto defun-  
ti arrodere, his eum verbis in Matisconensi concilio est  
allocutus, & ultus: In horum, inquit, præsentia  
Sacerdotum te Ego, Columbani discipulus,  
successor & assertor istius, cuius tu discipli-  
nam & instituta damnas, ad divinum judici-  
um cum illo intrà præsentis anni circulum  
disceptaturū invito, ut istius Judicis examen  
sentias, cuius famulum tuis obrectationibus

<sup>18</sup> Exemplū  
Idem Can-  
tiprat. d. I.

§. 3.

<sup>19</sup> Exemplū

Joan. Ab-  
bas in vitâ  
Eustachii,  
ejus contem-  
poraneus c.  
6. citatus à  
Del. Rio  
Disquis.

Mag. tom.  
2. lib. 4. c. 4.

q. 4. Sect. I.